

perit sub nomine Pyxidariæ, quæ forte Pyxidaria Lindera Tournef. alsat. c. figura,<sup>1</sup> quam diu frustra quæsivi, nec per amicos obtinere potui. Male Mappi<sup>2</sup> hanc cum Montia eandem fecit. Non possum divinare cur ista reperiatur tantum in uno loco Alsatiæ; si esset nota italica australibus, divinarem eam allatam cum Oryza, ut plures plantæ hodie italicæ, ante minime Europææ, præsertim cum hæc nascatur in paludosis. ceterum non possum satis mirari quomodo planta Virginica potuerit migrare in Germaniam, imprimis ad mediterraneum locum, si vero occurrisset ad littora Lusitanicæ Scotiæve occidentalia judicasset eam cum Gnaphalio margaritaceo et Dactyli cynosuroide migrasse.

Anne posses hujus figuram vivam dare, cum nullibi prostat; maceravi flores et vidi eos accuratissime, ut nullum dubium sit quin sit eadem cum americana.

Accepimus hic novam Tropæoli speciem, in actis Holmiensibus descriptam, quæ se seminibus propagat.<sup>3</sup> Fragariam accepimus ex Gallia, foliis simplicibus, nec ternatis.

Multa nova Genera ex India orientali habui, quæ edam in Appendice quodam ad Species, una cum speciebus plurimis novis.

Nuper edidi Clavem Medicinæ in summo compendio, qui duabus tantum philyris continetur.<sup>4</sup>

Clavis exterior sistit rerum naturalium species oppositas harum singularium effectus in solida et fluida.

Dein qualitates saporum contrarias

harum singularium effectus in fluida et solida.

Dum vero oppono determinatam speciem odoriferi excessui proprio Diætæ resultat effectus seu actio Medicamenti.

Clavis interior similiter procedit in systemate nervoso cum olidis.

Mitto aliquot specimina plantarum alpinarum Lapponicarum; si plures velis, cum tabellario mitti, lubenter mittam, nisi impensæ tabellarii Tibi magnæ evadunt.

Si ad me scribas, inscribatur epistola absque involucro *Societati Regiæ Scientiarum Upsaliæ* (p. Hamburgum) et eas certo accipiam, absque impensis, cum ego omnes societatis literas ipse aperiam.

Doleo magnopere quod semina a Te missa nimis diu in itinere hæserent, ut de iis nulla spes sit; imprimis doleo quod Cortusæ semina non accepi recentia, quam plantam præ aliis exoptarem.

Dab. Upsaliæ 1766 d. 14 febr.